

Alterius autem generis praesidia exspectanda sunt a privilegiis; ut v. c. qui publico examine explorati fuerint, in publicorum fundorum conductione praerogativam habeant, de honorum pretio aestimando et de caussis rusticorum controversis sententiam rogari jubeantur, ad negotia curanda committantur, soli scholas oeconomicas habendi potestate ornentur. Sed manum de tabula.

Superest enim, ut, qua mente ista proluserim, indicetur. Placuit enimvero AUGUSTISSIMO REGI FRIDERICO AUGUSTO et AMICIS EJUS ILLUSTRISSIMIS vacuefactum LEONHARDI morte muuus ordinarii in hac academia oeconomiae et technologiae professoris in me conferre. Ad quod rite suscipiendum orationem habebo, qua *veterum Romanorum leges agrarias hodiernae agriculturae non esse accommodandas ostenderē* constitui. Ad quam audiendam, *Vos, Rector Academiae Magnifice Principes Celsissimi, Comites Illustrissimi, utriusque rei publicae Proceres Gravissimi Commilitones Praenobilissimi et Humanissimi*, rogo omni, qua per est, observantia, ut frequentes velit accedere.